DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE PUERPERARUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES M'GOWAN,

Hibernus.

—— Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum. HOR. Epist. vi.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXVIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PHILIPPO FLETCHER, M. D.

AMICO DILECTISSIMO

PATRIS CARI,

NUPER DEFUNCTI,

HOC TENTAMEN,

AMICITIAE,

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D.QUE

JOANNES M'GOWAN.

JACOBO M‘DONNELL, M. D.

NECNON FRATRI EJUS

ALEXANDRO M‘DONNELL, M. D.

APUD BELFAST,

ARTEM MEDICAM

CUM SUMMA LAUDE

EXERCENTIBUS,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PROPTER BENEFICIA NUNQUAM OBLIVISCENDA,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE PUERPERARUM.

PRÖOEMIUM.

Legibus hujus Almae Academiae, et non scribendi desiderio, impulsus, Febrem Puerperarum, paginarum sequentium materiam selegi, eumque paucis absolvere, statui. Non me latet diversitas opinionum de hoc morbo inter auctores, sed in animo est, quâ potui curâ, ex optimis scriptoribus eligere, quicquid notatu dignum videatur. Ab antiquissimis temporibus, observatum esse morbum apparet; tamen veteres, quantum literis extat, naturam hujus et sedem, non indagabant. Inter illos Hippocrates eum leviter tractavit; sed quantum scio, Jussievus,*

Parisiis,

* Acad. des Sciences l'an. 1746, in 4to, Mem. p. 160.

Parisiis, anno MDCCXLVI, primus est, qui symptomata, et quae corpore secto videntur, accuratè depinxit. Post illum scriptores de hoc multi extiterunt; sed nullus adhuc, in eo quod ad curationem pertinet, multum processit; nam etiam nunc, morbus manet exitiosissimus, tametsi diversis temporibus, remedia multa, ut specifica, summis laudibus elata sunt; sed hactenus nullum usûs trutinam sustinuit. Videretur quemdam äeris statum, qualiscunque sit, ejus diffusioni favere, et contagiosum esse, testimonia minime dubia habemus. Hic morbus formidolosus, Parisiis, ab anno MDCCLXXIV ad MDCCLXXXVI, saeviit. Londini anno MDCCLXX singulariter fatalis grassabatur.* Impetum gravem Eblanae anno MDCCXLV fecit, et ad MDCCLIV duravit.† In civitate eâdem, annis MDCCLXVII, MDCCLXXIV, et MDCCLXXV, formam maxime virulentam induit. Hìc etiam tam sero quam annis MDCCCIII et MDCCCIV, magnas strages intulit. In hoc morbo tractando

* White's Treatise on the Management of Pregnant and Lying-in Women, p. 336.

† Ibid. p. 336.

tando HULME, LEAKE, DENMAN, WHYTE, GORDON, et HAMILTON duces potissimum secutus sum.

DE NOMINE.

ALIIS Peritonitis, aliis Peritonitis Puerperarum, sed plerisque Febris Puerperarum hic morbus nominatus est. Horum ultimum minus habet, cui objici potest. Hoc scriptores optimi designârunt, et maxime congruens opinionibus de eo generaliter receptis, apparet. Hoc nomen etiam, non admonet peritonaei inflammationem, causam esse morbi; nam aeque eruptionem variolae illius morbi causam esse, affirmare liceat, quam peritonaei inflammationem causam esse Febris Puerperarum; et praeterea, inter symptomata prima, non enumeratur abdominis dolor.

MORBI

MORBI HISTORIA.

Hic morbus tam sero quam sexto die post partum raro aggreditur, sed in exemplis plerisque, secundo et tertio, et perraro primo. Ferè horrore diuturno ingruit; post quem brevi, abdominis dolorem, pressu auctum, et ad iliacam regionem plerumque refertum, conqueruntur aegrae. Hic, ut morbus increscit, multum durior fit. Aliquae dorsi partis gracilioris, et femorum dolorem queruntur. Cùm his adsunt calor auctus, et cutis siccitas; tamen in casibus multis, viscosa et relaxata observatur. Pulsus, qui durante rigore debilis et citissimus fuit, nunc magis valescit et frequentia increscit, aliquando etiam ad 120 vel 130 pulsationes horae sexagessimâ partè. Haec pulsûs magna celeritas inter symptomata pathognomonica optima est, et scriptoribus de Puerperarum Febre maximi nominis, praecipue Denman, Hulme, Leake, Whyte, Gordon, &c. sic notata est. Praeter haec adsunt dolor capitis, praesertim super supercilia, virium depressio magna, et

amentia

amentia singularis oculis expressa. Aegra dormire non potest, et delirio saepe vexatur. Negligentiam etiam erga infantem, et nullum studium lactandi demonstrat. Abdominis tenera conditio, et inflatio, quae, in exemplis nonnullis eò usque sit, ut abdomen haud minus intumescat quam ante partum, ferè comitantur. Respiratio brevis et oppressa est, musculorum abdominis actione impedita. Vultus aliquando erubescit, sed saepius pallida est, labiis et oculorum angulis candentibus. Aegra nunc in dorso plerumque recumbit, et saepe tam torpida, ut exiguum aut nullum questum faciat. In exemplis paucis, primo accidit vomitus, et fere semper biliosus est. Aliquando, ut procedit morbus, nil in ventriculo retineri potest, et terminatione fatali appropinquante, materia evomita fusco colore est, et saepe odore ingrato. Lingua, initio morbi, generaliter alba et mollis, et morbo ingravescente, arida et asperà extat. Sitis est parva, aut conditione animi depressâ, potum raro petit aegrota. Horrore non diu finito, pulsus frequens est, et potius durus, sed cum morbus aliquanto longior cursum tenuit,

multum

multum debilior fit, et celeritate ita augetur, ut numerari non potest. Alvus saepe initio tarda est, tamen progressu, fere circa diem tertiam, diarrhoea frequenter exagitat. Dejectiones sunt flavàe, virides, vel fuscae, quasi fermentescentes, et unaquaeque dolorem sublevare videtur. Aliquando nigrae sunt, gangraenam evenisse indicantes. Urina turbida est, sedimentum album vel fuscum deponit, et frequenter et cum dolore redditur. Si secretum est lac, iterum absorbetur; si non, nulla secretio fit. Lochia, secundum nostrum Professorem HAMILTON, parum afficiuntur, et in nullo Febris Puerperarum exemplo, reprimuntur. In quibusdam, abdominis inflatio citissimè increscit, et his respiratio, cum magno cruciatu, perficitur. Abdominis dolor, aeque cum tumore, non crescit, nam in aegris multis, hic minimus est, cum ille maximus existit. Prope finem hujus mali deplorandi, aegrotantis vires exhauriuntur, lingua squalida, dentes sorde obducti, et in oris et faucium internis partibus, aphthae patescunt. Spiritus olidus est. Dejectiones foetidae et fuscae sine voluntate egeruntur. Sudores viscidi, circum

os

os et pectus, observantur. His delirium mite aliquando succedit, et demum mors scenam moestam claudit. Hic morbus exitialis, die tertio, sic plerumque concluditur, sed in exemplis aliis, non donec decimo quarto. Tamen secundo exitium attulit. Aliquae, inter acerrimos doloris morsus, obiere, dum aliis symptomatum remissio integra fuit; et dum mutatione subitâ, ab angore maximo ad doloris vacuitatem, laetatae sunt, vires lapsae sunt, et mors, spes amicorum deludens, extemplo eas rapuit. Delineatio praecedens Febri Puerperarum, ut in nosocomiis videtur, fere solum convenit; nam ut sese offert, iis privatim medicinam exercentibus, non tam regularis accessus est. Fère insidiosa est, et aliquo levi symptomate indicata, ut nolente aegrâ lactare; aut forsan levi diarrhoea, vel dolore vesicae, et mingendi difficultate monstretur ejus aditus. Inter symptomata prima, est pulsûs insolita frequentia.

SECTIO

SECTIO CADAVERIS.

Inciso abdomine, nonnihil aëris putridi, quo distentum est, emittitur. Tunc invenitur collectio liquidi, sero lactis similis, quod saepe ad aliquos sextarios metitur. In hoc circumfluum videtur aliquid materiae caseum referentis, quae uberior, viscerum superficiem, fibrina coacta plerumque tectam, habet comitem. Omentum fère semper multum inflammatum invenitur; sed inflammatio huic solo non limitatur, sed etiam in ventriculo, mesenterio, vesica, et inter peritonaei plicas videtur. Noster celeber Professor Hamilton,* uterum non, aut parum affectum esse, observavit. In nosocomio Edinensi parturientibus accommodato, liquidum effusum haud paulo plus esse, quam ex inflammatione praecedenti expectaremus, notatum est. Hepar et lien, praeter naturam, sunt pallida. In aliquibus gangraena evenit, et in paucis aliis pus inventum est effusum.

RATIO

* In Praelectionibus suis.

RATIO SYMPTOMATUM.

Hic tantum praecipuorum symptomatum pauca notabuntur.

DOLOR.

Abdominis dolor, pressurâ auctus, est a conditione inflammatâ eorum in eo comprehensorum.

TUMEFACTIO ABDOMINIS.

Haec aliquatenus, ex aëre intestina impleni, oritur. In exemplis nonnullis, valde severis, e liquido effuso putrescente, et aëre inde extricato, originem ducit.

DYSPNOEA.

A septi transversi descensu, in respiratione naturali, abdomine inclusa necessariè aliquantulum comprimuntur; et his nunc vehementer inflammatis et cruciatis, multum aëris inhaurire, inspiratione unaquâque, ultro vitabit aegrota. In exemplis aliquibus etiam, Febris Puerperarum cum Pneumoniâ complicatur.

NAUSEA ET VOMITUS.

Haec, inflammatione ad stomachum extendenti, et forsan aliquando, ex consensu inter eum et partem inflammatam oriuntur. Etiam a bile sint, copiosiùs et acriùs solito, secretâ.

CONSTIPATIO.

In omnibus febribus, et morbis febrilibus, secreta et excreta reprimuntur. Sic liquidis in intestina effusis, imminutis, faeces non ut vulgo propelluntur, sed illic durescunt.

DIARRHOEA.

Aliquando bilis copiosior et acrior solito est, et hinc diarrhoea supervenit.

DOLORIS SUBITA CESSATIO.

Haec gangraenam evenisse indicat.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Hae nondum planè patefactae sunt, nam foeminas temperiei omnigenae, et post partus

facillimos, aeque ac difficillimos, adoritur. Quoniam parturientibus propria est, partum esse praecipuam causam praedisponentem, est planum. Cùm post puerperium, actiones multae novae corpore peragendae sunt, et cum vasa resorbentia potissimùm occupabuntur, nunc impressioni magis proclives esse, verisimile est. Hanc proclivitatem augere videntur animi affectus deprimentes.

CAUSAE EXCITANTES.

De his disputationes fuerunt multae, sed harum e praecipuis tantum notabuntur paucae. Inter veteres Hippocrates, et recentiores Sydenhamus, frigori attribuerunt, ad quod morbos ferè omnes referre solebant. Inter Gallos, praecipuè sanguinis repulsu à mammis peritonaeum versus, effici putabatur; et hanc opinionem, mammis in hoc morbo flaccidis, et liquido in abdomen effuso, lac referenti, corroboratam aestimabant. Sed huic sententiae recte objicitur,

tur, mammas lacte tumidas esse, ad morbi aggressum, et etiam per aliquod tempus postea, non subsidere; sic ut lactis absorptionem, morbi effectum esse, non causam, potius diceremus. Porro secreta, in aliis morbis acutis, minuuntur, ut hysteritide, enteritide, &c. Liquidum in abdomen effusum lacti simile habetur, sed hoc experimentis Doctoris PEARSON omnino subvertitur, qui constituentibus prorsus dissimile esse, comperiit.* Humor, illi supra dicto similis, maribus Pneumoniâ affectis, e pleura effusus, inventus est. In opinionem† quibusdam habitam, lochiorum retentione, vel absorptione productum esse morbum, iisdem argumentis, ac de lactis absorptione, uteremur. Multi, ut TISSOT in "Avis un Peuple," ex injuriâ, utero in partu illatâ, originem ducere, opinantur. Si sic res habeat, inflammatio uteri, primùm incipere debet, sed secundum observationes Doctoris HAMILTON, uterus vix, ac ne vix quidem afficitur. HULME uterum plenum, in mensibus posteri-

oribus

* CLARKE's Practical Essays.

† Vide WHITE, p. 7.

oribus graviditatis, omentum comprimentem, primam causam esse, suspicatur; dicit, "The omentum, in the latter part of pregnancy, must be either flat, which is its natural situation, or be rumpled or carried up, by the gravid uterus, in folds or doublings. When this last is the case, which probably is not unfrequently so, the danger of a strangulated circulation will be the greater."* Si hoc accidat, morbusne potius ante partum eveniret, et statim post submoveretur? Si quaevis analogia inter hoc et herniam strangulatam sit, hoc certe contingeret. Secundum hanc hypothesin etiam, saepius adolescentibus, in primo partu accideret, cum abdomen minus laxum est; sed hoc non observatum est. Urget etiam hanc rationem dare, cur parturientes huic morbo solae obnoxiae sint: at frequentior existeret quam observatur, si ex hoc, morbus penderet. WALSH, CLARKE, et alii, hanc febrem eodem typo esse, et eâdem labe ortam, ut synochum, arbitrati sunt. WALSH dicit, "That the disorder is not one

* HULME, p. 150.

one *sui generis*, confined to in-lying women, but merely an unusual form of a very common disease, and is, in reality, no other than the common infectious fever, complicated with a more or less extensive inflammation of the peritoneum."* Iterum, "We look on the Puerperal Fever, as a form of the common Synochus, or Typhus."† In doctrinam hanc benè objicitur, quòd formam consuetam retinet, cum parturientibus accidit, Synochus, ut exemplo infra narrato, et KIRKLAND transcripto, apparet.‡

Exempla

* WALSH on Puerperal Fever, p. 13.

† Ibid. p. 23.

‡ "A young woman very lately had, as I was informed, an extremely good time of her first child, but she was unfortunately put into a bed out of which her sister, my patient, was removed, who had long lain ill of a low nervous fever. If we except her not having a stool, she went on very well for five or six days, the lochia being properly discharged: she slept well, and her breasts were filled with milk. But about the conclusion of this period, probably when the miasma, received from the curtains and bed-clothes, began to take effect, she complained of pain in her head, was feverish, and her fever increasing with want of sleep, I was desired to see her on the eighth day of her lying-in. I then found her in a hot sweat, with an

Exempla similia tredecim, CLARKE* Eblanensis, narrat se vidisse. Multum differentiae etiam in tempore accessus habent, nam Febris Puerperarum nunquam ante, et synochus ante, et rarissimè post partum occurrit. Secundum GORDON, cùm foeminas uterum gerentes febris invasit, in mensibus primis, abortus, et posterioribus, partus succedebant. Hi non fatales fuerunt, sed sanguinis in abortu fluxus, et lochia post partum, crisin dabant. Maximè verisimile videtur, contagionem specificam, ad morbum eundem

excessive, quick, weak pulse, and exactly the same kind of symptoms which accompanied her sister's fever. A clyster was immediately given, with good effect; other remedies were ordered; and her breasts had been, and still continued to be carefully drawn, till they became flaccid from milk not being secreted. But the parents of this woman, having lost another daughter in child-bed, were firmly persuaded that this would die also. Thus she continued in the same bed; remedies were entirely neglected; she soon became delirious, and did die on the 12th day from her delivery. But she had neither diarrhoea, pain, soreness, or swelling, in any part of the abdomen, though the lochia entirely stopped on the second day of the fever.—KIRKLAND on Child-bed Fever, case XVI.

* Med. Commentaries, vol. XV.

eundem disseminandum potentem, causam excitantem esse. Hi qui aegris famulantur, morbum transferre possunt, ut apparet exemplis multis a GORDON datis, paginis 64 et 65; et eo quod obstetrix Nosocomii Edinensis, parturientibus aptati, foeminam, quam in alia urbis parte curavit, morbo inficiebat, dum in aedibus, anno MDCCCXV, saeviebat. Contagiosam esse, aliud argumentum valens est, quod post purificationem amplam, vel suffimenta acida, rite peracta, non recurrit, ut in Nosocomio supradicto monstratum est.* Epidemicam apparuisse dictum est; sed e casibus editis, non Febrem Puerperarum, sed potius Peritonitidem esse, videretur. Firmatur haec opinio observationibus† aliquibus ad Doctorem HAMILTON a Dumfries missis, quae Peritonitidem ab alio ad alium transmitti posse, penè probant. Vide etiam ARMSTRONG, p. 54.

CAUSA

* Ex Praelectionibus Doct. HAMILTON.
† Ibidem.

CAUSA PROXIMA.

Hic morbus, ut supra describitur, est febris sui generis, et quoniam febris proxima causa, minime intellecta, in tenebris posita est, pauca de inflammationis naturâ, quae in Febre Puerperarum evenit, dicere, satis habemus.

Haec erysipelati aliquantulum affinis apparet. Utraque Abredoniae, tempore eodem, observabantur.* Febrem Puerperarum comitabatur Erysipelas, Londini, anno MDCCLXXXVII et VIII Doctoris Clarke auctoritate; dicit, "Inflammatory diseases have been extremely unfrequent, or, if they have occurred, they have been principally of the erysipelatous kind."†

DIAGNOSIS.

In hoc loco tantum de morbis, ei maximè similibus dicam, et signa diagnostica, quantum

C potero,

* Gordon, p. 55 et 56.

† Dr. Clarke on the Epidemical Diseases of Lying-in Women, p. 11.

potero, dabo. Hi cum quibus confundi potest, sunt Febris Lactea, Hysteritis, Typhus, Enteritis, Colica, Molimina post partum, et Febricula retentis secundis originem ducens.

FEBRIS LACTEA.

In hac mammae lacte turgidae sunt, et abdomen non afficitur. Glandulae axillares dolent. Sed horum symptomatum nulla in Febre Puerperarum observantur.

HYSTERITIS.

In Hysteritide, uterus multum augetur, et summo dolore afficitur, dolorque ad inguen extendit. Sed signum diagnosticum optimum est, in hoc morbo lochia suppressa.

TYPHUS.

Nec abdominis dolor, nec inflatio, aut spirandi difficultas in Typho adsunt. In Typho sensorii functiones debiliores sunt, quam in Febre Puerperarum.

ENTERITIS.

In Enteritide lochia supprimuntur, et hoc medicum errare non sinit. Dolor etiam ad umbilicum plerumque refertur, sed in Febre Puerperarum magis universus est.

COLICA.

In hoc malo dolor etiam ad umbilicum praesertim urget, et pressu sublevatur, sed in Febre Puerperarum pressu multum augetur. Pyrexia colicam non comitatur, et hoc signum diagnosticum bonum praebet.

MOLIMINA POST PARTUM.

In his dolores intermittentes sunt, et nunquam pyrexia eos comitatur.

FEBRICULA SECUNDIS RETENTIS ORIGINEM DUCENS.

In febre hâc, in successu sunt stadium frigidum, et calidum, et sudor calidum excipit.

PROG-

PROGNOSIS.

Quoniam hic morbus saepissimè fatalis est, prognosis generaliter infausta erit. Parisiis anno MDCCXLVI, nullae convalescebant. Secundum Doctorem Young, omnes sub curâ suâ, hoc malo affectae, obierunt. Londini, in Nosocomio uno, ex foeminis sexaginta et tribus enixis, a die Novembris tricesimo, anni MDCCLXIX, ad diem Maii decimum quintum, anni MDCCLXX, decem et quatuor morti occubuere. Hoc, ratione eâdem, quâ unum ad quatuor et semi stat. In Nosocomio Georgii viculi Eblanae, a Martio, anni MDCCXLV, ad Octobris diem primam, anni MDCCLIV, tres mille enixae sunt, et viginti novem interibant. Cum in valetudinario Edinensi, parturientibus accommodato, anno MDCCCXV, apparuit, tantum una ex decem convaluit. Talis calculus a Doctore Clarke Eblanensi datur. Medecinam privatè colenti, non tam exitiosa offert se, duabus ex septem ad sanitatem redeuntibus. Gordon auctore, quanto citius post partum accedit, tanto

to celerius exitium affert. Signa fausta sunt, diarrhoea mature in morbo apparens, cùm eodem tempore pulsus tardior fit, et abdominis tumor dolorque minuuntur. In uno exemplorum duorum a Doctore Home memoratorum, diarrhoea ultro evenit et aegrotans convaluit, sed in alio ubi foemina interivit, nulla diarrhoea apparuit.* In militis uxore, cujus casus a Denman refertur, diarrhoea factitia concitabatur et crisin dabat, nam post pulveris antimonialis administrationem, " She had 17 stools, like yeast in appearance, within six hours after the repetition of the powder."† Et artificis uxori, scripto eodem memoratae, diarrhoea spontanea sex dies manens, critica erat. Lochia in quantitate consuetâ secreta; lac ad mammas rediens; abdominis tensio decrescens, cum doloris remissione; aegrota in lecto, sine dolore sedem mutare valens; pulsus regulariter micans: haec omnia signa propitia sunt. Symptomata infausta sunt, pulsus celerrimus, abdominis tensio magna, cum

respiratione

* Vide Clinical Experiments, p. 68 et 87.

† Dr. Denman on Puerperal Fevers, p. 31.

respiratione difficili, delirium, lingua arida et aspera, vomitio dejectionesque nigrae, et malarum color coccineus, circumscriptus. Proximi morti praecursores sunt, sudores frigidi et glutinosi, in pectore tantum et ore apparentes; faeces, nesciente aegrotâ, dejectae; pulsus inordinatus, et doloris subita cessatio. Dr. Gordon, febrem die quinto solvi, observavit.* Cùm diem decimum quintum morbus duravit, aegra ad sanitatem saepissimè redit.

RATIO MEDENDI.

In Gallia, curatio a Doulcet vomitoriis tentata est, et haec, ab illo, specifica habebantur; sed usus hoc non probavit. Doctor Clarke, Eblanensis, tantum uno, exemplorum decem, ea exitum bonum dare, reperit. Doctor Brennan oleum Terebinthinae, in dosibus magnis, ut remedium proposuit; sed hoc etiam efficax

* Dr. Gordon, p. 74 et 75.

cax non observatur. Ejus periculum, fecit Doctor HAMILTON, et ad ℥iss dedit, sed sine ullo bono effectu; tamen non nocivum erat.* Caeterum venaesectio, remedium est, de quo multa controversia orta est, eam multum commendantibus, HULME, LEAKE, DENMAN, GORDON, ARMSTRONG, HEY, dum CLARKE et HAMILTON acriter reprehendunt. Effatum sancitum in medicinâ est, id, quod morbo medetur, eidem morbo esse obstaturum. Tametsi haec febris, post haemorrhagias uterinas copiosas, accidit.† Qua ratione igitur, sanguinis damnum, quod morbo venienti occurrere non potuit, eum sanare, expectaremus? Nos curationem purgantibus tentari hortaremur. Doses aliquanto potentiores e Pulvere Jalapae composito, vel supertartrite Potassae, vel Phosphate Sodae, donec faeces naturales fiant, dari debent. Hic morbum curandi modus, etiam a GORDON, venaesectionis commendatore tam strenuo, multum laudatur.

* Ex Praelectionibus.

† Mr. WHITE, on the Management of Pregnant and Lying-in Women, p. 219.

laudatur. Dicit, "Purging, the other principal remedy for curing the Puerperal Fever, is not so circumscribed in its application as bleeding, for it is well adapted to all the different stages or periods of the disease, and is the evacuation to which nature herself gives the preference, being the only proper critical or salutary discharge that takes place in the Puerperal Fever."*

Ad inflammationem topicam minuendam ex magno usu sit, hirudines octo vel decem abdomini applicare, et tunc aceto calido fovere. In hoc unam horam persistere oportet. Postquam, emplastrum vesicatorium peramplum imponamus. Doctor CLARKE objecit, nimiam irritationem ex vesicatoriis fieri, sed hoc non accidet si abdomen totum emplastrum tegat. Si sero in morbo arcessimur, enematis Nicotianae Tabaci periculum faciamus; et hoc deficiente, ad Digitalem Purpuream confugiamus. Hujus tincturae guttas decem, quâque horâ demus. Cum effusio in abdomen evenit, unguentum Hydrargyri

* GORDON, p. 92.

Hydrargyri fortius in femora fricetur, donec os afficiatur; aut abdominis Paracentesin conficiamus. Sed in omni exemplo Febris Puerperarum, venam incidere nocet. Casus in quibus prodesse apparuisset, aliorum morborum exempla fuere, ut Hysteritidis, Peritonitidis, &c. nam in illis editis, lochia supprimebantur, quod in Febre Puerperarum nunquam accidit.* Regula bona est, venam incidere, cum lochia supprimuntur, sed non cùm naturaliter fluunt. Ubi diarrhoea adest, misturis opiatis, et astringentibus, ut Kino, Catechu, &c. uteremur. Cinchona officinalis etiam, aliaque roborantia, multum proderunt. Si tenesmus aegrotam affligat, enema anodynum dolorem levabit.

PROPHYLAXIS.

Quandocunque hic morbus formidolosus in nosocomio apparet, modus certissimus morbum sistendi,

* Ex Praelectionbus Doctoris Hamilton.

sistendi erit, omnes foeminas, quae nondum peperunt, dimittere, et omnia conclavia, acidis muriatico et nitrico, fumigare. Nec ullae aliquae, nisi longo tempore post, in ea admitti debent.

FINIS.